

placet; Vide Donell. comment. jur. civil. lib. 18. c. 6. lib. 1. Sed eam probat Osual. Hilliger. in suo Donell. Enucleat. loc. mox citat. & Freher. de infam. lib. 3. cap. 22. qui num. 18. hanc regulam tradit: Quicquid bonis moribus aduersum, & grauium uirorum incorrupto iudicio delectans existimatur, facti infamiam gignit.

30 Recte uero notat Stryk in usu modern. Pandectar. lib. 3. tit. 2. art. 1. quod siue de infamia juris, siue de infamia facti agatur, ad mores provincialium precipue recurrendum sit, & exinde infamia sit diiudicanda; idque quia quod olim infamiam irrogabat, contraria lege, vel consuetudine ab infamiae macula liberari potuit. De carnificibus, lichoribus, prodeuntibus in scenam, infra annum luctus nubentibus, tutoribus pupillis ducentibus, & aliis id genus, an hodiernis moribus pro infamibus habendi sint, vide apud laudatum Auctorem loco mox allegato. Et numero uero infamium tollendi sunt Aurigae, quos nescio cur Auctor n. 11. infames reputauit.

35 De effectibus infamiae consule Freher. di. l. 3. de infam. cap. 24. & sequent. utrobique per 101. Nota uero quod effectus illi filios non sequuntur, Carpzov. p. 3. decis. 289. num. 14. Mev. part. 5. decis. 117. num. 7.

36 De causis uero infamiae juris uide Donell. comment. jur. civil. lib. 18. cap. 7. & 8. tum & maxime ibidem Osuald. Hilliger. qui hanc materiam accuratissime tractauit, & una docet, quando tollitur infamia.

39 An causa non poena hodie infamet, expendit Stryk in usu modern. Pandectar. l. 3. tit. 2. §. 13.

40 Non omittendum, quod obseruat Mornac. ad l. 12. §. 7. ff. de his, qui notantur infamia, hodie ob poenam grauiorem alicui irrogatam famam condemnati non conseruari. At non uideo, quare grauius in uno, in altero non debeat subleuari, & beneficio di. leg. 13. in conseruanda fama gaudere.

Nec est praeterendum, receptum in praxi esse, ut scilicet iudicialiter condemnare de delicto famoso & famam reservare dicta poena; At praxim hanc improbat Stryk in usu modern. Pandectar. l. 3. tit. 2. §. 14.

(Per leges tit. 6. part. 7. de Infamibus tractatur: in prima, quid sit fama, & infamia; (vid. verb. Detractione, & Fama) quod duplex haec sit: ejus definitio cum ab Auctore proposita conuenit: in juris, & facti infamiam diuiditur: In secunda, quibus causis haec contrahitur, demonstratur (vid. in add. hisp. hic inserta): In tertia, juris infamia recollitur: ea notatur adultera: mulier intra annum luctus nubens, seu luxuria dedita: pater, qui in matrimonium eandem intra annum collocat, qui scienter cum ea contrahit, nisi per obedientiam fecerit, intercedente patris, aut aui, sub quorum est potestate, mandato, tunc super hosce cadit infamia, non super nubentem filium: neutro casu incurritur, si a rege praecipitur: duplex ratio, quare intra praefatum terminum mulieri nubere prohibetur, praescribitur: prima, ne detur ignorantia cuius fuerit soboles postea nata, praemortui an, siue secundi mariti: secunda, ut de morte uiri omnis suspicio, quae ex tam pronta status mutatione oritur, auferatur (Concordat lex 5. tit. 3. p. 6. Ad rem lex 3. tit. 12. p. 4.)

De eadem infamia in quarta agitur, uidelicet eam incurrunt leno, ioculator, qui in publicum pretio aliquid accepto se produunt, fera bestia, seu homine aequaliter pugnant, secus absque pretio, miles exauctoratus, atque militia degradatus, vel si praedia conducatur mercimonii causa, usurarius, iuramentum infringens, peccans contra naturam: hi omnes ipso jure sunt infames, quamquam sententia non feratur. In quinta, praefigitur qui

norii, arbitrio iudicis satisfactionem pecuniariter efficiet, nullaque diffamanti irrogabitur poena, si dicti ueritatem probare uoluerit, & probauerit (1). Legislativa uelut

(1) Leg. 8. tit. 6. p. 7. Disfamando torticeramente un ome á otro de tal yerro, que si le fuese probado debria morir, ó ser desterrado para siempre, porende decimos, que debe recibir esa mesma pena aquel que lo enfamó. Mas si lo enfamase de otro yerro alguno de que non mereciese haber tan grand pena, debe

sit infamis per sententiam in eum prolatam, ratione proditionis, falsitatis, adulterii, alteriusue delicti, furii, rapinae, doli: in iis transiens iudicis absque mandato: qui ex causa societatis, tutelae, mandati, depositi, si doli intertuerit cum furto inuentus, siue in supradictis delinquendo, confessus in iudicio, ac etiam qui alterius cuiuslibet delicti uirtute poena sanguinis, aut alia publica affligitur.

In sexta, quod infamia facti, non juris, aboleri non ualet, deciditur: ratio differentiae edocetur, nam infamia facti difficile abstergitur, eo quod, cum ad omnium aures peruenit delicti ostensio, quomodo abolitio ingredietur? ceterum iuris infamia per principis indulgentiam: etsi uerum uideatur, istam poena gratiam facere, nec infamiam tollere, nisi in pristinum statum fiat restituitur: (leg. 2. tit. 2. p. 7.) nihilominus totum remittitur, scilicet poena, & mala fama: super aliquo delicto infamatorio sententia pronuntiata, si appellatio sit interposita, & sententiae revocationem obtinuerit, extinguitur infamia ex prima determinatione dimanans: si contrarium euenit, sequitur infamia: neque ea contrahitur, si poena imponitur corporalis, dum ingredi debet pecuniaria, uel quando maior, aut minor quam ea a legibus praescripta propter iustam aliquam considerationem fuerit imposita. Per septimam proponitur, quod infamibus poena non pateat dignitatum: (Lit. E. pag. 182. n. 27.) nec ad eas, nec honores sunt admittendi: ideo nequeunt esse iudices, (leg. 4. tit. 4. p. 3.) Consiliiarii, (Leg. 7. tit. 18. p. 4. quid sint isti decernitur) nec Advocati: (Leg. 3. & 5. tit. 6. p. 3. Vid. lit. A. ex pag. 63. ad 77.) nec possunt in curia regia domicilium constituere: esse Procuratores, (Leg. 5. tit. 5. p. 3.) tutores, & curatores, dummodo tres ultimo numerati in testamento, in quo heredes fuerit instituti, ad talia munia sint vocati: Iudices uulgo de uenenata esse non prohibentur, atque munera, quae sibi incommoda, regi siue communitati commoda ac profuca fuerint, obtinere.

In lege octaua seu finali si uis poenas in diffamantes stabilitas agnoscere, recognoscatur additio hispanica, quae incipit, si in uerb. Detractione: ubi ad literam inueniuntur. Ut in aliquam quilibet ueniat cognitionem de iis, quae cum Auctore conuenire ualent, praerentia sufficiant. Omnia animaduertere, & cum distinctione, nimis longum tempus inueneretur, utpote abs dubio per multos titulos, in corpore juris clausos, opus erat pertingere, tam de ciuilibus causis, criminalibus, & actibus, quibus homines se immiscet, loquentes; quantum discretionem haec materia erit tractanda, praeter quam plurimas decisiones ad idem concernentes, Regiae Schemdulae 18. Martii ann. 1783. & 2. mensis Septembris ann. 1784. plane ostendunt: per illam est decisum ac declaratum, nullam artem, seu officium, fabrilignarii sive denominentur, coriarii, abietarii, sutores, aut cuiuslibet aequalis sint denominationis, profitentibus maculam impingere, nullum contemptum parere, neque familiaris, neque ei, qui cuiuslibet eorum artium sit deditus, uel in eisdem se exerceret: ideo huiusmodi artificibus, operariisue, ita se exerceribus, obtaculum ullum ad reipublicae munia obuenda, nihilosecius ad nobilitatis fructuonem, si hanc gaudeant praerogativa, haud praerant: legibus non obstantibus uidelicet 6. & 9. tit. 1. lib. 4. Ord. Reg. 2. & 3. tit. 1. lib. 6. & 9. tit. 15. lib. 4. Recop. Cast. ceterisque de hac materia loquentibus, quae pro plene, & sufficienter expressis haberi debent, atque ad praemissorum dumtaxat effectum derogatae aestimantur: neque in contrarium facientibus aliis

facere enmienda de pecho aquel que lo enfamó, segun el aluedrio de Judgador, catando todas las cosas que diximos en el titulo de las deshonras, en razon de la enmienda dellas. Pero si aquel que oviene enfamado á otro, quisiese probar que era verdad lo que habia dicho, probandolo así, non habrá pena.

aliis cuiuscumque qualitatis opinionibus, sententiis, statutis, & consuetudinibus. Per secundam, cum praeritis temporibus esset determinatum, deque eius obseruantia dubium nullum offerretur, illegitime natos aliorum artium professionis incapaces existere, declaratum aduertitur, ut cessarent praerogativa, quae reipublicae, rebus suis stantibus, irrogabantur, ad quorumcumque officiorum, & artium exercitium, nullum impedimentum afferre quod de illegitimitate uocatur, muneribus iudicum, & tabellionum exclusis, nam circa hoc dispositum in suo robore permansurum erat, decisionibus non obstantibus (praeter legum numerationem) ut supra. Jam jam eorum professorum, seu artificum existimatio illa manet. Jam de congregationibus, ubi earum statuta opifices, seu operarios similes non admittunt, sola hac praesente ratione, excludi nequeunt: macula sublata, quae uidebatur (non inter prudentes mente praedictos) dedecore afficere istiusmodi officii implacatum, quilibet praemeditabit satius esse in aliquo honesto artificio uitam traducere quam remisse, ac uoluptarie vivere: quod consequetur, si secus aestimaretur, oriantur, experientia demonstrat: ars, & officia magni sunt semper facta: nullum corpus politicum potuit sine eis habere subsistentiam, & quod est pars ejus integralis, esse professori praerudicium illaturum, non comprehenditur! Si conceditur, exercitia similia in eis se exercerent fodere, atque non nihil de existimatione amittere; eidem corpori labem inferri (dissonium uideretur) quis ibi inficias? Quare aperite liquet, homines sic implicatos, sicut ceteros in aliis similibus occupationibus detentos, in corpore politico etiam gradus constituere, non uero ullam turpitudinis notam incurrere. Satis de hoc mox mentis sensus est detectus; quantum patifere ualebat, ipsa naturalis ratio suadet; sed tractent fabrilium fabri, nam, licet literarum sim studiosos, ingenii inopem me reperio, ea de causa uis deficit meditando).

INFANTES.

Quoad infantes sine baptismo defunctos, qui ad quaedam sanctuarium prodigijs celebrata, deferri solent, ibi fuis precibus, ut Deus eos ad uitam reuocare dignetur, donec saltem baptismum recipere possint, ac si aliquod, licet incertum, in eis uitae signum appareat, sub conditione baptizantur, cumque deinde, ut plurimum morti reddantur, sed potius dicta dubia uitae signa non appareant, tamquam baptizati in loco sacro sepeliuntur, Benedictus XIV. de synodo dioecesana lib. 7. cap. 6. num. 10. & 11. relatis uariis diocesanis synodis, in quibus praemissa omnia uerba fuerunt sub grauium poenarum interminatione, deinde sub num. 12. testatur quod a Congregatione S. Officii re diligenter examinata; die 27. April. 1729. decretum fuit quod huiusmodi consuetudo de medio tolleretur; idemque confirmatum fuit die 19. Decemb. ejusdem anni, item 20. Febr. 1737. 30. Januar. 1738. 3. & 6. Junii 1744. ac denique die 11. Maji 1751.*

(Etiamsi, dum hoc uerbum se praesentat, hic subnecti multa ualebant, tam si de eorum commodo, quam praerudicium agitur: dumtaxat, cur hispanice Regum filii Infantes nuncupantur, enarrabitur; in partitae. codice suo ordine part. 2. proceditur, & per descensum fit transitus ad titulum 7. ubi de hisce est sermo; per descensum fuit dictum, ordinem titulum numerando: in primo titulo, de Imperatoribus, & Regibus tractatur: de eorum dominio, & potestate: (Ad rem lit. D. pag. 96. in add. nouis.) qualiter regnum acquiratur: quae utilitas ab ipsis primario debet intendi: omnes cives iuxta cuiusque statum diligendi, & honorandi: potius in suis confidendum quam extraneis: quis sub nomine tyranni intelligatur: tyrannidis effectus praescribitur: nomina signantur alia, scilicet Principes, Duces, Comites, Marchiones, Iudices, Vicecomites, qui ita dicantur: quare hi fuerit necessarii, & quae potestas. In titulo 2. qualis erga Deum rex esse debeat, ostenditur: dilectio

super omnia: Dei seruitium ad fidei, & praerceptorum custodiam, & conseruationem dirigendum: fidei aduersarios comprimere incumbit: ecclesias, res suas, & ministros honorare, defendere, & eidem protectionem impendere. Titul. 3. 4. & 5. qualis debeat rex esse in cogitationibus suis, uerbis, & operibus determinatur. In tit. 6. reciprocatum in omnibus inter regem, ejusque regiam uxorem demonstratur: quae in ea, dum matrimonium est contrahendum, attendenda. Postquam omnia circa praecedentia discernuntur, & summa distinctione explicantur, ad titulum 7. progreditur: ibique per terdecim leges prouidetur, qualis uersus filios suos rex se gerere debeat, atque e converso filii erga regem: ideo in prima decernitur seu exhibetur, cur in hispania illi infantes uocantur: ita dicuntur tamquam pueri, septem annos non adimplentes, (Leg. 4. tit. 16. p. 4.) qui absque macula, & peccato reperiuntur: quare, tales aut sint, procurandum: tandem in sequentibus, ad quas Lector, ut eas recognoscatur, attentaeque perlegat, remittitur, quomodo nutriendi, ac educandi definiunt. Vid. lit. F. pag. 50. col. 2. in nouis. add.)

INFERNUS. SUMMARIUM.

- 1 Inferni seu Inferorum quot sint loca, quae, & unde rationabiliter desumuntur, ad num. 5.
- 6 Inferorum locus & ignis quo tempore creatus fuerit, & quae sit eju. dem ignis natura, ad num. 9.
- 10 Quomodo & quot formis spiritus damnatorum ab igne infernali torquantur, ad num. 18.
- 19 An aliis poenis praeter illam ignis damnati crucientur in Inferno, & quomodo augebitur eorum poena ac tristitia post iudicium uniuersale, ad num. 23.
- 24 An una eademque poena cuncti puniantur damnati, ad n. 27.
- 28 Anima Christi an ad omnia loca inferni descendit, & quot Christus liberauerit uel iuuerit, ad num. 33.
- 34 Utrum aliqui crucientur extra infernum.
- 35 Montes Aetna, Vulcanus, Vesuuus ac huiusmodi, an sint ora Inferni.
- 36 Anima damnata quomodo nunc ac in die iudicii ruant in Infernum, ad num. 37.
- 38 An Trajanus Imp. aliqui pagani fuerint precibus aliorum Sanctorum ab Inferno liberati.

Subnectitur Appendix, siue nouus de Inferno articulus.

INFERNI, seu Inferorum quatuor sunt loca, siue sinus, iuxta qualitatem poenarum, quas animae defunctorum in illis sustinent, nempe Limbus Sanctorum Patrum ueteris testamenti, Limbus, siue locus parvulorum in peccato originali decedentium, Purgatorium, & locus damnatorum, qui Infernus communiter dicitur: Sic communis Theologorum sententia, teste Bellarmino tom. 2. lib. 2. de purgatorio cap. 6. uers. Octaua est communis Scholasticorum, Beverlink in theatro uiae humanae uerb. Infernus.

Horum quatuor Inferorum loca, seu quatuor Inferni partes rationabiliter desumuntur ex quatuor poenarum generibus, quia omnia illa quatuor loca sunt poenalia, & omnis poena, aut est tantum damna, aut etiam sensus, & rursus, aut aeterna, aut temporalis. Pro poena iugit solius damni temporali erat Limbus SS. Patrum qui nunc uacuuus remanet. Pro poena solius damni aeterna est Limbus puerorum. Pro poena damni, & sensus temporali est Purgatorium. Pro poena damni, & sensus aeterna est Infernus; Bellarmin. loc. cit. & alii passim.

Quod Limbus Sanctorum Patrum ueteris testamenti fuerit subterraneus, seu in Inferno, constat ex Genesi 37. num. 25. ubi Jacob, audita morte filii sui Joseph, descendam, dixit, ad filium meum lugens in Infernum, quem tamen sciebat esse in Limbo. Item ex Apostolo ad Ephes. 4. habetur, quod Christus descendit ad inferiores partes terra, & ex Symbolo, quod descendit ad Inferos; constat autem, quod uivit ad sinum Abrahae, unde liberaret animas Sanctorum Patrum,

trum, adeoque talis Limbus est in inferioribus partibus terre.

4 Quod Limbus puerorum sine baptismo decedentium sit subterraneus, seu in Inferno, habetur ex Concilio Florentino sess. ult. ubi definitur, eos, qui cum solo originali moriuntur, mox in Inferno descendere: Et tradunt communiter Doctores.

5 Quod Purgatorium sit in inferioribus terre partibus, ubi in Inferno, deductur ex Apostolo ad Philippenses 2. ubi habetur: quod in nomine Jesu omne genuflectatur, Caelitium, Terrestrium, & Infernorum, quae ultima verba solummodo de animabus purgatorii intelligi possunt; cum nequeant intelligi de animabus in Inferno damnatis, quae necdum non flectunt genua Christo, sed potius illum continuo blasphemant, juxta illud Psal. 73. num. 23. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Item ex illo Psal. 113. Non mortui laudabunt te; Domine, neque omnes, qui descendunt in Infernum, ubi colligitur adesse aliquas animas in inferioribus terre partibus, quae Deum laudant, quae cum non possint esse animae aeternaliter damnatae in Inferno, debent necessario esse animae temporaliter puniendae in Purgatorio. Item aliis Sacrae Scripturae textibus omissis, ex illis verbis, quae in sacrificio Missae pro defunctis dicuntur: Libera, Domine, animas fidelium defunctorum de penis inferni, & de profundo lacu, quae verba intelliguntur solum de animabus Purgatorii, cum in Inferno nulla sit redemptio. Vide verb. Purgatorium.

6 Et Infernorum, inquit D. Augustinus. Calmet interpretatur allatum ab Auctore ex epistola ad Philippenses testimonium, mortuorum ipsorumque demonum ac damnatorum, qui ejus nomen, nunc quidem proscribunt, sed supra iudicii die illum uti Deum iudicem agnoscere atque adorare cogentur? Hec porro interpretatio auctoritate innititur S. Joannis Chrysostomi Theodoretii, Eusebii, Menochii, Zanchii, Tirini, aliorumque. Hinc patet demones damnatosque, sin minus sponte, saltem coacti flectere in nomine Jesu.

7 Quod Infernus proprie dicitur sit in inferioribus terre partibus, nemo est, qui dubitet; immo per omnes est locus infimus inferorum. Et de hoc est sermo in praesenti, & de hoc intelliguntur omnes illae comminationes Sacrae Scripturae, & parabola Evangelicae de servo infideli, & pigro, de zizanias &c. Matth. 13. Et in hunc descendunt Chore, Dathan, & Abiron, qui ut habetur Num. cap. 16. vers. 33. descenderunt vivi in Infernum operi humo; & in hoc sepultus est dives ille, de quo Luc. 16. dicitur: Mortuus est dives, & sepultus est in Inferno.

8 Infernorum locus, & ignis ejus creatus est in prima die, in qua Deus creavit mundum; Abulensis tom. 7. in Matthaeum cap. 25. quest. 708. in principio, Beyerlinck in theatro vite humanae verb. Infernus lit. I. Tirinus in Genesis cap. 1. n. 1. & alii passim contra Ludovicum Molinam existimantem, tertia die creatum fuisse Infernum, eo quod illa die terra ornata fuisset, in cujus centro infernus est: Et ratio nostrae conclusionis est, quia Deus in prima die creavit Angelos, & Angeli ut habentes actus peccelimos, statim ut creati sunt, peccaverunt, & statim damnati sunt ad ignem Inferni, adeoque dicendum est, in prima die creatum fuisse infernum.

9 In Inferno adest verus, & proprie dicitur ignis, quo damnati cruciantur: Sic communis Theologorum sententia, teste Tirino in Judith. cap. 16. num. 21. Mastro Moral. disp. 26. num. 5. contra Calvinum, & alios haereticos. Et hoc deductur ex pluribus Sacrae Scripturae locis, in quibus de tali igne fit frequentissima mentio, & signanter Matth. c. 2. n. 10. Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, & n. 12. Palaeas comburet ignis inextinguibilis, c. 13. n. 42. Mittent eos in caminum ignis, c. 25. n. 41. Discedite a me maledicti in ignem aeternum, Marc. c. 9. num. 42. In gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur; Luc. cap. 16. num. 24. Crucietur in hac flamma, Apocalyp. cap. 14. num. 10. Crucietur igne, & sulphure, cap. 20. num. 9. Mirus est in stagnum ignis, cap. 21. num. 8. Pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, Deu-

teronom. 32. num. 22. Ignis succensus est, Judith. cap. 26. num. 21. Dabit ignem, & vermes in carnes eorum ut urantur, & sentiant usque in sempiternum, Ecclesiastici cap. 7. num. 19. Vindicta carnis impi ignis, & vermis, Isaiae cap. 33. num. 14. Quis poterit habitare cum igne decorante, cum ardoribus sempiternis? Psalm. 10. num. 7. Pluet super peccatores laqueus, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calcis eorum, Psalm. 20. num. 10. Pones eos ut clibanum ignis, Psalm. 139. num. 11. Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos.

10 Ignis Inferni est corporeus, & ejusdem speciei cum hoc nostro elementari: Scotus in 4. dist. 44. quest. 2. & 3. S. Bonaventura ib. p. 2. quest. 1. Mastro Theol. moral. disp. 26. num. 6. & alii passim: Nulla enim est necessitas illum ponendi diversum, & citata loca Scripturae sunt adeo clara, ut nonnisi de vero corporeo igne ejusdem speciei cum nostro elementari interpretari possint; alioquin Scriptura verbo valde aequivoco usa fuisset, & in significatione nobis incognita: nec obstat, quod ignis infernalis pabulo non indiget, nec subliorem petat locum, sicut hic noster, quia & in propria sphaera secundum Philosophos ignis alimento non indiget; & facillimum est divinae virtuti in infimo loco eum cohibere ad damnatorum cruciatum, absque eo quod sicut ignis noster suapte natura subliorem petat locum.

11 Spiritus damnatorum ab igni infernali torquetur 10 per modum alligationis, & detentionis localis ut in carcere, ac per alligationem, & detentionem objectivam, id est, cruciantur ab igne non actione physica, sed intentionali per tristitiam, quam causat; sic Scotus, & Scotista, in 4. dist. 34. quest. 2. & etiam Nominales ibidem, & sequuntur recentiores passim; & Amicus disp. 22. sess. 4. Aversa quest. 64. vers. 1. Joannes de S. Thoma quest. 64. disp. 24. art. 3. Nazarius, & alii citati, & secuti à Mastro cit. disp. 26. num. 18. & in secundo sententiarum disp. 3. quest. 6. art. 3. num. 527. ubi ex Suarez testatur, hanc fuisse etiam opinionem S. Thomae, & Thomistarum p. 1. quest. 64. art. 4. & 4. contra Genes cap. 90. dicitur expresse, quod sententia in scholis verior, & communior tam apud veteres, quam recentiores docet, demones, & spiritus damnatorum esse igni alligatos, ita ut ab eo se liberare non possint, & ex hac alligatione cognita, & nolita, admodum tristari, & torqueri; quam alligationem ad ignem explicant, vel per modum carceris illos delitentes in certo loco, ne pro illorum libito ubique vagari possint, vel per modum objecti determinantis talis ad continuationem sui considerationem, ne expedito pro suo arbitrio valeant ad alia objecta cogitanda converti.

12 Probatur igitur ex Sacra Scriptura, quod poena ab igne Inferni spiritibus damnatorum illata, sit poena alligationis, & detentionis: Fere enim Scriptura explicat illam ignis poenam per dictum modum alligationis, & detentionis, & patet ex Apocalyp. 20. Et apprehendit Angelus draconem, qui est diabolus, & satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit in abyssum, ubi ut vides, cruciatus demonum in inferno explicatur per vincula, & alligationem, ac detentionem: Et 2. Petri 2. Angeli peccantibus Deus non peperit, sed recessibus inferni detrahit in tartarus tradidit cruciandos: Et in epistola catholica S. Judae Apostoli dicitur: "Angelos vero, qui non conservaverunt suum principatum, vinculis aeternis sub caligine reservavit." Et Isaiae 24. "Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & clauduntur ibi in carcere." Et Threnorum 3. "In tenebrosos collocavit me sicut mortuos sempiternos, ut non egrediar, aggravavit compedem meam." Et hoc idem indicat petitio illa, qua Lucae 8. Demones Christum rogabant, ne illis imperaret, ut in abyssum irent, ne scilicet ibi carceris, seu alligationis, & detentionis poena punirentur, ut Patres colligunt ex illis verbis Matthaei 18. Quid vobis, & sibi Jesu Filii Dei venisti haec ante tempus torquere nos?

13 Probatur etiam auctoritate Sanctorum Patrum. Sane-

tus enim Gregorius Papa l. 4. Dialogor. cap. 29. interrogatus: quomodo rem incorpoream tenere ignis corporeus possit: Sic respondit: "Si vivens hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igni tenetur?" Deinde cujuscumque sit ea pena declaratur: "Teneri autem spiritum per ignem dicimus, ut tormento ignis videndo, atque sentiendo puniatur; ignem namque eo ipso patitur, quod videt, & quia cremari se aspicit, crematur, sicut fit, dum res corporea in corpoream exurit, tum ex igne visibili ardor, ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur." Item S. Augustinus 21. de Civitate Dei cap. 10. ait: "Cur non dicamus, quamvis miris, verisque tamen modis spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi? Nam si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei etiam nunc poterunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis perpetuo alligari.... Adherunt ergo, etiam si eis nulla sint corpora, spiritus demonum, immo spiritus demonum licet incorporei, corporeis ignibus cruciantur." & consimiliter loquuntur varii alii S. Patres, qui brevitate gratia omittuntur.

14 Quomodo autem dicta poena ab igne corporeo spiritibus inferatur? Demonstrat Scotus in 4. dist. 44. q. 2. num. 6. ubi dicit, quod dolor est passio consequens apprehensionem sensitivam, & in appetitu sensitivo, tristitia autem est proprie in appetitu intellectivo, aut in voluntate, & consequens apprehensionem eventus alicujus objecti noliti. Deinde num. 7. dicit, quod ignis Inferni est objectum disconveniens demonibus, idque dupliciter. Primo ut detinet spiritum definitivum. Secundo ut immutat objective, & utroque modo cruciat demones. Primo quidem, quia nolunt detineri ab igne, cui ex lege Dei se alligatos agnoscunt tamquam perpetuo carceri, ac instrumento divinae justitiae. Unde illa nolita alligatio, ac violenta detentio infert magnam tristitiam, & afflictionem damnatis spiritibus, qui ob inannatam libertatis amorem summe tristantur, quod sibi impeditam videant potentiam motivam, ne possint pro libito ubilibet vagari: Si enim brutum animal intellectu, ac libertate carens, & solum sensum, & appetitum habens, dum se catena ligatum videt, adeo vehementer affligitur, & torquetur, multo magis dicta alligatio, & detentio affliget, & torquet nobilissimos illos spiritus.

15 Unde ib. num. 9. subjungit Scotus, quod diabolus summe tristatur; "Non enim tantum odit detentionem activam Dei, & suam passivam à Deo, sed etiam odit detentionem formalem perpetuam ab illo igne, & per consequens de illa detentione formali tristatur; cum autem tristari sit formaliter cruciari, sequitur, quod ignis, ut formaliter detinet diabolum, etiam alligatus affective ipsum cruciet. Nec refert, quod ipsum non detinet affective; inde namque non sequitur, quod non possit ipsum etiam affective cruciare, quia ut detinet formaliter est objectum nolitum, & apprehensum ut disconveniens, objectum autem nolitum affective infert tristitiam."

16 Ostendo igitur ex Scoto, quod ignis Inferni cruciet spiritus damnatos eos detinendo definitivum, ostenditur, quod etiam eos cruciet ipso immutando objective. Primo namque, inquit Doctor ib. num. 11. intellectus Angelici determinatur perpetuo ad intencione considerandum ignem in ratione objecti: Secundo apprehendit istam determinationem, id est, necessitatem ad talem considerationem: Tertio odit, & sicut prius istud odium oritur ex affectione commo-di, ex quo vult quodcumque objectum, prout sibi delectabile fuerit, considerare nunc hoc, & nunc illud, & promovetur ex superbia, ex qua vult ut intellectiva sua secundum imperium voluntatis propriae, & consummatur ex invidia propter quam odit determinari à Deo ad aliquam considerationem unicam: Quarto sequitur apprehensio non tantum nuda istius considerationis sicut in secundo, sed apprehensio certa de eventu istius considerationis intencione, & apprehensio: Quinto ex hoc sequitur tristitia.

17 Et haec secunda poena, nempe detentio objectiva,

quatenus intellectus ita perpetuo detinetur in intensa consideratione illius ignis vindictis in ratione objecti, ut nullatenus considerare possit alia objecta, est multo gravior, & acerbior, quam prima, nempe alligatio, seu detentio localis sui ab igne: Ignis enim, dicit Scotus ib. num. 13. objective detinet intellectum Angelici, magis effective ipsum cruciat, quam quatenus tantum affligit demonem effective, quatenus est objectum nolitum; ut vero ipsum detinet objective, causat effective primam apprehensionem, ad quam determinatur intellectus, quae est nolita, & ita haec ultima detentio habet quaedam duplicem actionem in intellectu demonis, prior vero habet tantum simplicem, & unicam.

18 Probatur signanter, quod ignis Inferni non cruciet spiritus damnatos actione physica, quia ignis ille est corporeus, & ejusdem speciei cum hoc nostro elementari, ut patet ex dictis supra num. 9. adeoque naturaliter saltem non potest agere in substantias pure spirituales, quales sunt demones, & animae separatae; nec facile dictum est, quod per potentiam obedientialem res materialis, & corporea possit elevari ad producendum physice accidens spirituale; & dato etiam, quod hoc sit possibile, non est dicendum, quod Deus velit facere continuum, & aeternum miraculum, ut elevet virtutem illius ignis corporei ad efficiendum physice demones, & animas damnatas; inconveniens enim esset Deum non posse punire demones, & damnatos sine continuo, & aeterno miraculo. Unde concludendum est, quod dictus ignis illas cruciet, & affligit, non actione physica, sed intentionali.

19 Et hoc probatur, quia ponendo, quod spiritus damnati cruciantur ab igne Inferni actione intentionali per tristitiam, quam causat, facilius explicatur, quomodo sine miraculo illo talis elevationis demones torquentur vere per ignem, scilicet quatenus cognoscendo se detineri ab illo igne velut carcerem, nec posse ab illo eripi, nec unquam avertere cogitationem suam ab illo sic tormentoso, quia summe nolito objecto, utpote summe opposito suae potentiae motivae, & intellectivae à tali alligatione locali, & detentione objectiva, ut summe eis displicita, summam, & intensissimam concipiunt tristitiam. Hic autem modus torquendi est intentionalis, & moralis cum causet tristitiam, quae est passio spiritualis in intellectu, & voluntate, adeoque ignis Inferni cruciat illos damnatos spiritus poena intentionali. Et haec tristitia, ac spiritualis cruciatus, quem ignis causat in mente illorum damnatorum spirituum per dictam duplicem alligationem, ac detentionem localem, & objectivam, est illa incorporea flamma, ac invisibilis ardor, quem S. Gregor. c. supra num. 12. ajebat, res incorporeas trahere ab igne corporeo, & materiali: "Res corporea incorpoream exurit, dum ex igne visibili ardor, ac ardor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur." Unde haec poena dicitur poena sensus, non quia per actus sensuum, vel potentiam sensitivam sustineatur, sed quia causam, & originem habet ab aliquo sensibili corpore, quod causa est hujus poenae; quod in praesenti ignem esse, habetur ex Scripturis, & patribus allegatis supra n. 11. & 12. ac aliis similibus.

20 Quamvis in Inferno praeter poenam ignis, alias sensus poenas ponat Sacra Scriptura, scilicet poenam vermum & poenam stetit, & dentium stridorem, & frigiditatem nimiam, tenebras, fetorem sulphuris, spirituum procellas &c. ut patet ex pluribus ipsius textibus, ut Psalm. 50. num. 7. Pluet super peccatores laqueus, ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars calcis eorum. Psalm. 58. n. 15. Famem patientur ut canes Job. cap. 15. n. 21. Sonitus terroris semper in auribus impij, & cap. 24. n. 10. Ad nimium calorem transeat ut aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius. Isaiae cap. 34. num. 3. De calaveribus eorum ascendet fator. Ezech. cap. 32. num. 6. Irrigabo terram fator. Judith. cap. 16. num. 21. Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant. Deuteronom. cap. 32. num. 35. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum. Jeremiae cap. 23. num. 16. Cibabo illos abrynthio. Apocalyp. cap. 18. num. 9. Plangent cum

cum viderint fumum incendii ejat. Matthæi cap. 12. num. 18. Ploratus, & ululatus, & cap. 8. numer. 12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. Marci 9. num. 43. 45. & 47. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguatur, cum pluribus similibus. Nemo tamen in hac vita scire potest distincte, determinate, & adæquate quænam, & quot sint damnatorum pœnæ, nisi à Deo revelante eas percipiat, ut teste Mastrio in theol. moral. disp. 26. art. 1. num. 9. docet communis Patrum, & Theologorum sententia cum S. Augustino lib. de triplici habitaculo cap. 1. ubi de pœnis Inferni loquens ait: Mala autem Inferni dicere, vel cogitare ut sunt, nemo potest, pejora quippe sunt valde, quam cogitantur. Et infra subdit: Locus Inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, miserie, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, auditionis, sitis, famis, ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, & omnis ineffabilis mali, quod nec dici, nec cogitari potest. Et paulo inferius tandem subjungit, quod in Inferno nihil invenitur, quod desideratur, nihil videtur, nihil sentitur, nisi quod displicet, nisi quod offendit, nisi quod cruciat, & concludit, quod omne malum abundat in carcere diaboli, & nullum bonum; & consimiliter loquuntur passim alii Sancti Patres, & Theologi; & in Evangelio ipso Lucæ 16. num. 28. vocatur infernus locus tormentorum, ubi Ugo Cardinalis habet: Bene dicitur locum tormentorum, ubi omnia genera tormentorum sunt congregata.

20 Homines damnati in Inferno post Judicium universale etiam quoad corpora sunt igne cruciandi; Est de Fide, & communis Doctorum, & habetur aperte ex Matth. 25. num. 41. Discedite à me maledicti in ignem æternum, & ex aliis consimilibus Scripturis. Unde licet non sit improbabile, quod damnati post Judicium actione tantum intentionali ab igne sint cruciandi; absolute tamen tenendum est, esse tunc cruciandos ab igne, non solum actione intentionali, sed etiam actione reali, id est, ignis post Judicium cruciabit homines corpore, & anima præditos, non solum actione intentionali, id est, per dolorem in appetitu sensitivo causatum, sed etiam actione reali revera corpus comburente, quamvis non corruptente. Hic enim dicendi modus conformior est Sanctorum dictis, & ipsis Sacre Scripture ubique dicentis damnatos igne Inferni esse cruciandos: ignis autem non cruciat nisi actione reali, & executive damnatorum corpora calefaciendo, & ignefaciendo, & dolorem intensum juxta peccatorum gravitatem, & quantitatem causando; Mastrius l. c. n. 25. cum Sancto Bonaventura, & aliis ibi allegatis.

22 Nec valet objicere, quod sic homines damnati post Judicium magis torquerentur, quam demones, nam homines præter pœnam illam intentionalem tristitiæ in anima ex allegatione locali, & detentione objectivæ sentient etiam diras, & physicas pœnas, quas non sentient demones. Non valet, inquam, quia novit Deus sic attemperare pœnas animæ cum corporeis, ut ambæ simul commensurentur peccatis tam demonum, quam hominum.

23 Post diem Judicii pœna, & tristitia essentialis damnatorum non augebitur, quamvis augeatur dolor propter passionem, & tormenta corporum, & pœna accidentalis ex multitudine damnatorum; Sicut enim post diem judicii universalis, & corporum resurrectionem non augebitur in Beatis gloria essentialis, sed solum gloria accidentalis, ita in damnatis non augebitur pœna, & tristitia essentialis, sed solum pœna accidentalis, Mastrius loc. cit. num. 27. & alii passim.

24 Tam pœna damni, quam pœna sensus in damnatis erit inæqualis juxta inæqualitatem demeritorum. Sicut enim Beati inæqualem habent beatitudinem juxta meritum inæqualitatem, ita damnati quoque inæqualem debent habere pœnam sive damni, sive sensus, juxta inæqualitatem demeritorum, juxta illud Apostoli ad Romanos cap. 2. numer. 6. Reddet unicuique juxta opera ejus. Et Apocalyp. cap. 18. num. 7. Quantum gloriificavit se, & in delictis fuit, tantum date illi tormenta

tum, & ludum; & ibidem cap. 22. num. 12. Ecce venit otio, & merces mea mecum esse reddere unicuique secundum opera sua. Et Deuteronomii cap. 25. num. 3. Pro mensura peccati erit, & plagarum modus. Scotus in 4. dist. 44. quest. 2. & dist. 50. quest. 6. Mastrius loc. cit. d. num. 33. ad 36. & alii passim.

Deus in Inferno in punitione damnatorum exercet misericordiam parentem, & mitigantem, seu partialem, non vero liberantem, seu totalem; Sic expresse Scotus in 4. dist. 46. quest. 4. in fine, Mastrius leg. cit. num. 51. ad 55. quod etiam docuerunt ibidem S. Thomas, & S. Bonaventura; & prima pars colligitur ex illo Ps. 76. Numquid obliviscatur misereri Deus; aut continebit in ira sua misericordias suas? Et ex illo Ps. 142. In misericordia tua disperdas omnes inimicos tuos. Et ex illo Habacuc 2. Cum iratus fueris, misericordie recordaberis; Secunda autem pars colligitur ex illo Jacobi 2. Judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam, & ex aliis similibus. Unde Scotus loc. cit. ad conciliandos Scripturæ textus, qui quantum ad hoc videntur sibi contrarii, & demonstrandum quomodo misericordia in punitione damnatorum concurret cum justitia, duplicem in Deo misericordiam distinguit; Unam totaliter à miseria liberantem, qua Deus utitur, cum in hac vita electos liberat à servitute diaboli, vel ab omni alio malo, tam spiritali quam corporali, sive imminente, sive præsentem defendit; alteram parentem, vel mitigantem, seu partialem, qua Deus utitur, vel in hac vita, vel in alia vita, sed tamen citra condignum demeriti, condonando scilicet aliquam partem pœnæ, licet non totam juxta demerita: Unde prima dicitur misericordia totalis, quia omne prosum malum aufert; secunda vero partialis, quia solum partem tollit malorum. Et sic illud Jacobi 2. Judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam, loquitur de misericordia liberante, & totali, non autem de parente, & partiali.

Peccatum veniale, sive in hac vita dimissum quoad culpam, sive non, licet mortali conjunctionum, in Inferno panitur sola pœna temporalis, sicuti pariter pœna peccati mortalis hic remissi, sed non in vita soluta, persolvitur, ac terminum habet in Inferno; Sic Scotus in 4. dist. 21. quest. 1. & dist. 15. quest. 1. quem sequuntur Scotiste omnes, & Nominales, & alii plurimi apud Mastrius lib. 2. sent. disp. 6. de peccatis quest. 8. Vid. verb. Peccatum num. 78. & 79.

Quisnam sit verus sensus illius catholici axiomatis, quod In inferno nulla est redemptio? Vid. verb. Peccatum num. 80.

Anima Christi ad omnia loca Inferni descendit. Colligitur ex illo Ecclesiastici cap. 24. num. 45. Penetrabo omnes inferiores partes terre, & inspiciam omnes dormientes, & S. Augustinus Epist. 99. dicit Christum descendisse ad loca Inferni, ubi erant dolores, & tormenta, & S. Fulgentius lib. 2. ad Trinitandum c. 30. dicit Christum descendisse usque ad Infernum, ubi solebant peccatorum anime torqueri. Et S. Cyrillus Hierosolymitan. Cat. ch. 4. S. Ambrosius in libro de mysterio Pasche, S. Eusebius Emisensis in Oratione de Pascha, & alii Patres, dum describunt terrorem gehennæ, ac demonum in descensu Christi, aperte indicant Christum præsentiam suam illis manifestasse; Sic cum aliis Bellarmin. tom. 1. de Contraversis Fidei leg. 4. de Anima Christi cap. 16. lit. A. & B. ubi ait, quod non videtur satisfacere id, quod dicit S. Thomas 2. part. quest. 52. art. 2. nempe quod Christus per talem præsentiam solum descendit ad limbum Patrum, pro effectu autem ad omnia loca Inferni; nam, dicit ipse Bellarminus, hoc modo possumus cum Durando dicere ad nullum locum Christum descendisse aliter quam per effectum, cum Scriptura non distinguat loca.

Christo non fuit aliqua pœna esse in Inferno: Anima enim Christi, dum fuit in Inferno, fuit quidem in loco pœnæ, sed sine pœna; S. Bonavent. in 3. dist. 22. quest. 4. cujus loquendi modus, teste Bellarmino leg. c. lit. D. videtur magis conformis SS. Patribus.

Descensus Christi ad Inferos contulit animabus jus-

torum duo maxima bona, nempe beatitudinem essentialem, & educationem in coelum: Beatitudinem enim essentialem continuo illis præstitit juxta illud Ecclesiastici cap. 24. num. 45. Penetrabo omnes inferiores partes terræ... illuminabo omnes sperantes in Domino. Et illud Lucæ 23. Hodie mecum eris in paradiso, quod Origenes homil. 15. in Genesim assertit, dictum fuisse non solum latroni, sed etiam omnibus justis, qui in limbo Sanctorum Patrum erant, & Tironis in civitate. cap. 23. Luc. num. 43. claram Dei visionem intuitu mortis Christi, statim ac expiravit concessam fuisse omnibus in limbo; Educationem autem in coelum præstitit illis die suæ Ascensionis juxta illud: Ascendens Christus in altum captivum duxit captivitatem.

Christus ad inferos descendens nullum de purgatorio secum duxit, nisi talis tunc pœnam totam purgatorium, quam erat subiturus, solverit; Tostatus Paradoxo 5. cap. 118. S. Thomas 3. part. q. 52. art. 8. ubi docet animas purgatorii non esse liberatas simpliciter ex descensu Christi ad Inferos, Bellarm. leg. cit. cap. 16. & alii contra alios. Non enim tunc liberavit Christus nisi illos, qui habuerunt talem dispositionem, qualem habent, qui nunc liberantur.

Et tanto minus Christus ad Inferos descendens liberavit animas æternaliter damnatas in Inferno, quia in Inferno nulla est redemptio; Sic Doctores communiter. Nec liberavit animas infantium, qui decesserant cum peccato originali: Pueri enim in limbo manentes semper ibidem manebunt; Tostatus Paradoxo 5. cap. 126. Bellarm. leg. cit. cap. 16. & alii. Vid. verb. Peccatum. num. 66. & 67.

Alique anime damnate interdum cruciantur in aliquibus locis extra Infernum per divinam specialem ordinationem ad exemplum, & correctionem vivorum; Tostatus de statu animorum concl. 4. S. Gregorius in 4. Dialogorum, & alii plures, & patet de variis apparitionibus, & revelationibus relatis apud Beyerlicum in Theatro vite humane verb. Infernus, & apud multos alios.

Ora Inferni non sunt montes æta, vulcanus, nec vesubius, & similes; Tostatus Paradoxo 5. cap. 11. & alii. Anime enim damnate portantur ad Infernum à demonibus; Tostatus lib. 7. in Matth. c. 16. q. 779. & alii. Et in die Judicii descendent in Infernum per miraculum absque terræ aperture; Tostatus Paradoxo 5. cap. 187. & alii.

An Trajanus Imperator gentilis, aliique Pagani, & peccatores fuerint precibus aliorum Sanctorum liberati ab Inferno? Variant Doctores: Sanctus enim Joannes Damascenus Oratione de mortuis dicit, Orationibus Sanctæ Trinitatis liberatum fuisse de Inferno animam Falconillæ cujusdam femine paganæ, & orationibus Sancti Gregorii Papæ animam Trajani Imperatoris; quod de anima Trajani Imperatoris refert, & ad longum probat Abulensis in libro 4. Regum quest. 57. Alphonsus Ciacconius in Apologia historie Trajani, & alii plures. Et in vita Sancti Nicolai de Tolentino legitur ejus precibus liberatam fuisse de Inferno animam sui Consobrini Sanctus Gregorius lib. 1. dialogorum c. 12. scribit, à Sancto Severo excitatum fuisse quemdam virum pessimum, qui à demonibus in Infernum deducebatur. Egesippus leg. 3. cap. 2. refert B. Petrum excitasse affinem quemdam Cæsaris Ethnicum à morte; S. Ambrosius serm. 90. & Maximus serm. 2. de Agnete scribit ab ea excitatum filium Præfecti, qui in peccato mortali obierat. Evodius lib. 1. de miraculis S. Stephani dicit puerulum mortuum ante Baptismum ad reliquias S. Stephani fuisse excitatum; & de multis aliis Gentilibus, & Paganis educis de Inferno per Apostolos, & Viros Sanctos novi Testamenti refert, & probat Abulensis leg. cit. dicens multos ex illis, qui erant per sententiam definitivam damnati in inferno, educos ab ipso fuisse per Apostolos, & Viros Sanctos revocando animas eorum ad corpora, ut ibi penitentiam agerent, & salvarentur.

Melchior Canus autem lib. 11. de locis cap. 2. absolute improbat historiam de Trajano Imperatore ut confictam, Dominicus à Soto in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. & alii plures ut incredibilem tenent hanc Trajani his-

toriam, in quorum sententiam se magis propendere fatetur eruditissimus Bellarminus tom. 2. de controversiis lib. 2. cap. 8. de purgatorio, variis rationibus probans librum illum referentem hanc Trajani historiam non esse Damascei.

Vide dissertationem primam Natalis ab Alexandro historiam ecclesiasticam 11. seculi, tom. 3. pag. 113. & seq. &

At dato etiam quod historia Trajani, & aliæ referentes alios Gentiles, & peccatores fuisse per Apostolos, & alios Sanctos de Inferno educos, essent veræ, adhuc dicendum esset, nec Trajanum, nec alios Gentiles, & peccatores fuisse damnatos absolute, & per sententiam definitivam ad Infernum; sed cum mererentur pœnas æternas, fuisse suspensam eorum absolutam, & definitivam æternalem sententiam propter prævias Sancti Gregorii, & respectivæ aliorum Sanctorum præces, & interim per sententiam interlocutoriam fuisse punitos in Inferno secundum præsentiam eorum demerita. Nec immediate ex Inferno ad Cœlum transisse, sed prius fuisse suscitatos, & tunc Gentiles baptizatos, & peccatores confessos penitentiam in hac vita egisse, & sic salvatos fuisse; Ita communis sententia, & solutio S. Thomæ, Durandi, Richardi, & aliorum in 4. dist. 45. art. 2. & sequitur Bellarm. loc. cit. cap. 8. vers. Respondeo, & vers. Ad quid respondebit? ac alii.

APPENDIX,
Sive novus de Inferno.
ARTICULUS.

I. INFERNUS GRÆCE Adis, Hebraice School, subterraneum terræ locum, sive infra terram positum designat. Negari non potest quin hac voce designatum quandoque fuerit in Scriptura sepulcrum; Doctissimus Calmet, Patres, ac nonnullos interpretes sequuntur, Genesios 37. vers. 35. Jacobum Inferni nomine sepulcrum designasse opinatur per hæc verba: descendam lugens in infernum, scilicet dolore confectus ingemiscens ad sepulcrum properabo; eademque ratione exponit locum n. 16. vers. 30. expressum, quo Core, Dathan, & Abiron terræ hiatus viventes sepulti, in infernum absorti dicuntur: atque hoc sensu vita functi hominis corpus in infernum, sive subter terram positum dicitur. Nos vero inferni nomine locum tantum designamus, in quem anime à corpore separate deveniant. Inter omnes convenit Infernum locum tormentorum exprimere, in quem damnatorum anime detrudantur: hoc enim sensu sumitur Isaie 14. 9. Ezechielis 31. 15. Job. 26. 5. Luc. 16. 23. atque alibi passim, tum in Scripturis, tum apud Sanctos Patres. Significat etiam locum quemlibet animarum, quæ nondum in cœlo empyreo æterna beatitudine perfuuntur, qua in acceptione sumitur Psalm. 29. 4. Act. 2. vers. 27., & alibi passim apud ecclesiasticos Scriptores, ubi descensus animæ Christi ad inferos, vel locus ille indicatur, in quo anime Sanctorum Christi adventum operientes detinebantur.

II. Fuere male feriati homines, qui opinati sunt Judæos olim pœnas tantum, & præmia temporalia agnovisse, pro justorum pravorumque hominum merito: Et inter hos alii à Græcis, alii vero ab Ægyptiis, & Persis mutuasse Judæos post Inferni, & Paradisi dogmata. Sed quis hæc delirantium somnia non irrideat? Nam longe ante Hesiiodum, & Homerum Græcorum antiquissimus, Isaïas, Jeremias, Salomon, Psalmista, Job, atque Moyses scripserunt, ut est omnibus eruditus exploratum. At apud hos omnes mentio occurrit inferni, loci nempe suppliciorum, quibus improbi in alia vita cruciantur. Videatur hac de re Augustinus. Calmet supplement. ad diction. bibl. verb. Infernus:: ubi textus omnes recensentur, quibus in libris veteris Testamenti alterius vite suppliciorum, sive inferni mentio aliqua occurrit; ex quibus perspicuum fit, apud Judæos viguisse semper dogma de præmiis supplicisque vite futuræ, atque hujusmodi persuasionem non ex Ægyptiis, &

& Persis, sed ab antiquis Patriarchis accepisse, à quibus & vitam, & Religionem habuerunt: Nec putes hanc de alterius vitæ suppliciorum doctrinam per solam traditionem, qua facta Adamo promissa, in Hebræa gente fuit, ad Moysen usque pervenisse: Nam ipsum quoque rationis lumen, dum demonstrat, Universum, & creaturas rationales Supremi Numinis providentiam regere, & gubernare, ostendit etiam superesse in alia vita bonis præmia, improbis vero hominibus supplicia. Guillelmus Parisiensis *part. 1. de Universo cap. 55.* satis aptam congruentiam affert rationis lumini consentaneam, quæ admittendum esse suadet determinatum suppliciorum locum; "Cum Universum, inquit, veluti domus quædam sit Creatoris, qui est Dominus omnium seculorum, & Rex, ac Rector Universi, necesse est, ut domus ejus completa sit totalitate partium usurarum, & opportuna sufficientia congruentium officiorum. Tu vero non dubitas, quoniam si necessarius esset carcer in omni regali palatio, atque habitatione, præsertim ubi tanta multitudo latronum, & justitiam, & æquitas nulla est civitas ordinata, cui bonum Rex præsideat, & bono Magistratu regatur, quæ non habeat locum exercendæ justitiæ. Cum igitur certum sit, & omnium Philosophorum consensione firmatum, Universum, seu Mundum civitatem esse Dei altissimi, in qua Civis sunt homines, & Angeli, hoc necesse est, ut universæ substantiæ spirituales... necesse sit hanc civitatem, quæ Deo altissimo Rectore regitur, locum habere universalem, communem, & appropriatum exercendæ divinæ justitiæ." Atque hinc facile patet, communem omnium cujuscumque ætatis populorum persuasionem de futuro miserimo impiorum statu post hanc mortalem vitam, deque quodam suppliciorum loco, in quo impii sint cruciandi, à traditione originem trahere, à primis parentibus ad omnes homines traducta, quæ deinceps semper conservata fuit inferiori quædam naturæ vi, quæ per rectam rationem suggerit, superesse in alia vita impiis hominibus supplicia, ac paratum ipsis esse à Supremo mundi Rectore suppliciorum locum. De consensu omnium gentium cujusque ætatis circa dogma de suppliciis ab impiis in alia vita subeundis, plures hæc ætate nostra scripserunt Auctores; sed unum legere sat erit Joannem Vincentium Patuzzi Ordini. Prædicat. qui lib. 1. de futuro impiorum statu hujusmodi argumentum luculenter pertractat.

III. Non defuerunt tamen impii, atque hæretici homines, qui vel omnino alterius vitæ supplicia de medio sustulerint, vel circa ea turpissime erraverint. Athei omnes, ac Materialistæ cum Dei providentia, & animi immortalitate, Infernum dari negant. Ex hæreticis Seheuciani, & Hermiani circa finem quartæ seculi mundum istum infernum esse assererant, & nullum aliud superesse. De his locutus est Augustinus lib. 12. de *Genesi ad hieram cap. 32.* dum dixit, *Inferos in hac vita explicari, nec esse post mortem.* In eadem deinceps hæresi fuit Almaricus, qui possuit unumquemque habere in se, vel paradisi si habeat cognitionem Dei, vel infernum si habeat conscientiam peccati lethalis; atque etiam Hermannus Rissuich Batavus, qui nullum post hanc vitam esse infernum asseruit. Horum vero impietatem, atque errores refellunt luculentissima argumenta ex Dei providentia deducta, sacram literarum auctoritas, atque omnium ejusque ætatis gentium consensus. Videatur supracitatus Patuzzi.

IV. Inter omnes Catholicos convenit, Inferni nomine sicut & Epyreæ determinatum quendam locum designari, atque unanimes consensu oppositam huic sententiam detestantur, quam Lutherani commenti sunt ex eorum secta, quos *Ubiquistas*, aut *Ubiquitarios* nominant. Præterunt isti, juxta Bellarminum, Fevardentium, Greteram, & ipsum Bezam Calvinianum, damnatorum locum, sive infernum ubique esse, sive diffusum per Universum mundum, non uni vel alteri, immo neque pluribus locis coarctatum. Quod si revera docuerunt, jam horum sententia exhibenda potius, quam refutanda est. Si enim ubique est infernus, necessario se-

quitur, nedum damnatos, sed & Beatos cum Christo regnantes, non modo cacodæmones, sed etiam bonos Angelos, cunctosque homines in terra degentes, in inferno esse: quod nemo non rideat. At quis sibi persuadeat tam monstruosam opinionem eipsum in mentem venire potuisse? Malim igitur ego ita ipsorum mentem exponere, ut infernum ubique esse asseruerint, non quasi locus omnium damnatorum locus sit; sed quod nullum Deus puniendis improbis locum certum destinaverit: verum arbitratu suo modo hunc, modo illum ad hujusmodi officium deligat. Quam sententiam aliqui alii, præter Ubiquitarios, amplexati sunt. Hæc tamen opinio sic etiam temperata falsa est, & aliena à fide Catholica Ecclesiæ, quæ docet, semperque docuit, unum esse certum, definitumque locum à Deo ad punitionem reprobatorum, sive demonum, sive hominum deputatum. Nihil Ecclesiæ fidei clarissimis sacram literarum documentis, & perpetua Sanctorum Patrum, & fidelium traditione. Constat hæc in primis ex historia, sive parabola de Lazaro, & divite Epulone. Nam dives, dum in inferno inter horribiles flammæ cruciaretur, elevasse dicitur oculos suos, ut videret Abrahamum, tamquam ex loco profundiore in altiore respiciens: Abrahamus vero ipsi alloquens præter alia, reposuit: *in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, ut qui hinc volunt transire ad vos, nec possunt, neque inde hinc transire.* Ac deinde dives idem orans inducitur pro fratribus suis, & *Et ipsi, inquit, veniant in hunc locum tormentorum.* Coccus sit oportet, qui non videat in hoc textu, exerto veluti digito demonstrari locum certum, & peculiarem, illumque damnatis omnibus communem. Nam & à sinu Abrahamæ aperte distinguitur, & inter utrumque *magnum chaos* interjectum esse perhibetur, & tormentorum locus distincte nominatur, & nedum pro infelicis divite, sed & pro fratribus ejus, ceterisque omnibus, qui ipsius vestigia secuti fuerint, deputatum. Id quoque constat tum ex eo quod corporeo igne impii sint cruciandi, ut à Lucio quoque nostro demonstratum est; tum etiam ex eo, quod peculiaribus nominibus locus hujusmodi in Scripturis designatur, quæ determinatum locum indicant; nam Lucæ 8. vers. 31. & Apocalypses 20. locus damnatorum vocatur *Abyssus*: Psal. 29. vers. 3. & Isaiæ 14. vers. 15. vocatur *Lacus*: atque alibi passim dicitur *Stagnum ignis, Gehenna* &c. Quæ quidem nomina determinatum locum expriment. Iis accedit Patrum omnium, omniumque Theologorum, qui Patribus succedere, consensus; quo fit, ut manifesta Scripturæ oracula perpetua, atque constanti Ecclesiæ traditione ad certum quendam indicandum suppliciorum locum ex hoc etiam capite determinentur. Dubitari ergo non potest, quin ut Sanctis hominibus cælum epyreum, ita impiis certus suppliciorum locus præparatus sit, qui inferni nomine designetur.

V. Etsi certo constat determinatum esse locum suppliciorum, in quo improbi penas alterius vitæ subire debeant; tamen nil certi Ecclesiæ judicio constitutum est circa Universi situm in quo constitutus sit. Quamobrem Angelicus Doctor opusculo 10. art. 31. querens, an locus Inferni sit in centro, vel circa centrum terræ, respondet: *Ad hoc dicendum videtur, quod locus Inferni sit infra terram, unde Augustinus in lib. 7. tractat. dicit: De inferis magis dicere debuissim, quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse dicantur; Ubi tamen sit Infernus, an circa centrum terræ, vel circa superficiem, nihil arbitror ad doctrinam fidei pertinere, & superfluum est de talibus sollicitari, asserendo, vel improbando.* Id ex eo quoque patet, quod variz circa hujusmodi locum circumferantur opiniones. Quidam enim hujusmodi carcerem extra hunc mundum situm existimantur, iis moti Evangelii verbis: *Ejecite in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Hinc Chrysostomus hom. 31. in Epist. ad Rom. de gehenna disserens ait: *Sed quoniam in loco erit? Extra mundum hunc totum, ut ego puto. Quemadmodum enim Regum carceres, & metalla procul positi sunt, ita extra mundum hunc erit gehenna.* Hic ergo, qui cum Chrysostomo sentiebat, in-

fernum locum cælo Epyreæ oppositum constituerunt, ac etiam inferiorem ad Epyreum ipsum comparatum; quamobrem infernus diceretur; sed extra terrarum Orbis positum in incognito loco. Alii putant in quadam telluris superficie situm esse infernum; fingunt enim regionem quandam circa polum arcticum instar magnæ insulæ intemperatissimam, molestissimam, horribilissimam, & deformissimam, quæ inferni dicatur, sive locus excruciantis impiis destinatus. Alii opinati sunt, impiorum carcerem in hoc aere caliginoso situm esse, quibus adhærere videtur Gregorius Nyssenus in disputat. de *Anima, & Resurrectione.* Hæc autem opinio ex expositione hujus Pauli textus originem duxit: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, adversus mundi Rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitie in cælestibus,* ad Ephes. 6. vers. 12. Atque ii omnes, quos nominavimus, inferni nomine non locum subter terram positum, sed infra cælum Epyreum constitutum appellaverunt. Communis vero hæc ætate nostra opinio est, carcerem inferni in terræ visceribus, sive in ipsius centro esse, quæ enim prope terræ superficiem situm asserit opinio, universim rejicitur. Movetur Theologi ad hæc amplectendam opinionem, tum quod hæc aptius exponat inferni vocabulum, ac Scripturis reliquis conformior videatur; tum quod pluribus Patribus probata sit; tum demum quia telluris centrum cælo Epyreæ oppositum. Nova prorsus contra omnium Patrum, ac Gentium fidem excogitata opinio fuit de sede inferni paucis ab hinc annis à quodam Anglo Scriptore, qui infernum in sole collocandum duxit, ea fortasse de causa; quod perperus ibi sit ignis, & quod soli juxta hujus auctoris opinionem Universi sit centrum. Opinio hæc vel ipsa novitate refellitur, etiamque confutanda suscepit clarissimus Patuzzi superius à nobis laudatus in egregio opere de *Sede Inferni*, quod Remondianis typis excusum fuit an. 1769.

VI. Venio nunc ad quatuor illa inferorum loca expendenda, quæ Lucius noster num. 1. designat. Constituit ipse infra tellurem limbum, sive locum SS. Patrum veteris testamenti, limbum, sive locum parvulorum in peccato originali decedentium, Purgatorium, & locum damnatorum, sive infernum: loca autem hujusmodi ita distinguit, ut designaret varios carceres pro varietate peccatorum, quas homines in futura vita subire debeant. At hæc distinctio locorum, etsi multorum Theologorum suffragio comprobata est; tamen non adeo facile admittenda videtur, cum à Scholasticis excogitata fuerit, quin in Scripturis, & apud antiquos Patres vel leve fundamentum haberint tot astruendi veluti omnino distinctas inferorum Sedes. Ad Scripturas enim quod attinet, satis constat infernum nomine locum designare, in quo animæ degant, quæ nondum in regno cælesti beatitudine perfruuntur, sed quatuor illos carceres nullibi indicant. Nec unum reperire est ex antiquis Patribus, qui de hæc distinctio locorum meminert. Quamobrem non ea confidentia exponenda videtur, ac lectoribus proponenda distinctio illa de quatuor inferorum partibus, quæ Lucius noster eam ex Auctore *theatri vite humane* descripsit, et inculcavit. Sed rem clarius exponemus expendendo singulas inferorum partes.

VII. Incipiam à Limbo SS. Patrum veteris Testamenti. Locus, in quo animæ SS. Patriarcharum ante Christi adventum versarentur, in illa parabola indicatur Evangelii, in qua anima divitis in inferno, anima vero Lazari in sinu Abrahamæ posita describitur Lucæ 16. vers. 22. & 23. Evangelium vero, magnum chaos interpositum innuit, locum inter suppliciorum divitis, & Abrahami sinum, in quem per manus Angelorum delatas animas fuisse narrat. At Abrahami sinum in visceribus terræ positum non asserit. Accedit etiam, Patres plerisque SS. Patriarcharum animas in deliciis positas asseruisse, quod vel ex indicata parabola eruitur. Immo S. Augustinus pluries asserere visus est etiam superna beatitudine animas illas fuisse donatas. At locus deliciarum, in quem animæ per manus Angelorum deferrentur, componi non potest cum carcere in terræ vis-

ceribus posito. Non nego inferorum nomine fuisse quandoque etiam Abrahamæ sinum designatum, sed reponere possem, tunc nimis late fuisse inferorum vocem usurpatam: pro omni scilicet loco, in quo defunctorum animæ versarentur nondum ad celestem patriam delata; Immo Augustinus contendit nunquam inferni vocem in Scriptura accipi in bonam partem. En Augustus, verba: *Quamquam illud me nondum invenire confiteor, inferos appellatos, ubi iustorum animæ acquiescunt.* De Genesi ad lit. lib. 12. cap. 33. *Proinde ut dixi nondum invenire, & adhuc quero, nec mihi occurrit, inferos alieubi in bono posuisse Scripturam duntaxat canonicam.* Ibidem; *Non facile alieubi Scripturarum Infernum nomen positum invenitur in bono.* Epist. 57. *Præsertim quia nec ipsos quidem Inferos aspiciam Scripturarum locis in bono appellatos potui reperire. Quod si nunquam in divinis auctoritatibus legitur, non utique sinus illi Abrahamæ, s. e. creata cujusdam quietis habitatio pars inferorum fuisse credenda est. Quamquam in his ipsis tanti Magistri verbis, ubi ait dixisse Abraham: Inter vos, & nos chaos magnum firmatum est, satis, ut opinor, appareat, non esse quandam partem, & quasi membrum inferorum tanta illius felicitatis sinum.* Epist. 99. Fatemur tamen Augustinum lib. 20. de civitate Dei cap. 15. asserere non absurde credi animas SS. Patriarcharum apud Inferos fuisse, locis tamen à suppliciis impiorum remotissimis, donec eos inde Sanguis Christi ad ea loca descendens erueret; superius expositam opinionem probare ipse videtur; quo fit, ut attentæ Patrum auctoritate incertum sit, num Abrahamæ sinus in terræ visceribus fuerit. Ut vero clarius appareat certe constitui non posse in terræ visceribus conclave illud, in quo animæ SS. Patriarcharum versarentur, hujus opinionis originem, & historiam paucis recensebimus. Veterum Græcorum opinio fuit, omnes mortuorum animas ad cændyn sive infernum mittendas fore; infernum vero in duas distinguebant cellulas, alteram bonorum, & virtuosorum, alteram malorum, atque improborum, quarum primam Latini Poetæ appellaverunt *Elysium*, alteram vero *Tartara*. Ab antiquis Græcis ad Judæos paulo ante Salvatoris nostri tempora propagata eadem opinio fuit, præsertim apud Pharisæos, ut videre est apud Josephum Hebræum lib. 18. cap. 2. Antiquitatum Judaicæ. Patres nonnulli putantes vocem *Adis* eandem retinere in Scripturis, ac apud auctores Græcos habeat significationem, doctrinam illam de duplici apud inferos loco susceperunt, ac veluti hypothesim adhibuerunt in propriis exponendis de futuro animarum statu opinionibus. Justinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, alique antiqui Patres, qui Sanctorum beatitudinem ad finem usque mundi differendam opinabantur; hæc de duplici apud inferos loco usurpavere hypothesim, ut sedem designarent animarum Sanctorum cum corporum resurrectione celestem beatitudinem expectantium. S. Hieronymus, alique Patres, qui Christi animam ad inferos descendisse crediderunt, ut disrupto antiquo carcere, animas SS. Patriarcharum in celestem patriam perduceret; eandem hypothesim secuti, sinum Abrahamæ in inferis constituerunt, ac hos deinceps imitati sunt Scholastici limbum SS. Patrum in inferis adstruentes. Sed ecclesiæ judicio nil certi definitum habemus, atque intacta fide Abrahamæ sinus alibi quoque stabiliri potest extra cælum Epyreum; qui tamen locus ea ratione inferorum nomine designari potuit, qua locum indicaret illis excipientis defunctorum animabus destinatum, quæ expectarent retributionem, atque æternam beatitudinem. Animadvertendum quoque est, antiquis Ecclesiæ Patribus, quorum plerique antipodas dari negaverunt, longe diversam fuisse telluris nostræ notionem ab ea, quam in præsentia habemus; non enim sphericæ figuræ ac planetarum instar in aere suspensam tellurem existimaverunt, sed altissimis, ac immensis ferme radicibus in Universi centro immobilem stabilitam credidere; quæ de causa facilius ipsis fuit varias illas sedes in ejusdem visceribus imaginari, atque ante dictam hypothesim sine ullo examine amplecti. Quod sane non adeo facile fecissent, si terra, ejusque figura ita ipsis perspecta fuisset, quemadmo-

dum cognita nobis est. Accedit etiam, ex descensu animæ Christi ad inferos generalem inferri non posse Patrum confessionem in adstruendo Abraham sinu in terræ visceribus. Alii enim descendisse ad inferos Christi animam putarunt, ut *legem mortuorum servaret*, ita Irenæus, Tertullianus, Hilarius, Gelasius; ne nos *Inferos advenit*, ut colligere est ex Tertulliano *lib. de anima cap. 51.* & ex Augustino in *Præl. 85.* Alii, ut is qui in inferno erant prædicaret, ut Hæma, Origenes &c. Alii præterea, ut suum devicta morte, ac debellato Satana triumphum omnibus manifestaret, alii denique alios designare hujusmodi descensus fines; atque omnes fere conveniunt Christi animam post ipsius mortem præsentia sua omnibus sese exhibuisse animabus, in quocumque illis loco degerent, nisi nempe, quæ in sinu Abraham erant, ut eas gloriæ suæ participes efficeret, reliquis vero, alios ob fines. Ex quibus facile intelligere quisque poterit, ne quidem ex hoc capite erui quidpiam certi posse de situ, in quo Abrahami sinus constitutus esset.

VIII. Venio nunc ad limbum puerorum, quem Lucius noster cum communiori Scholasticorum opinione alteram Inferni partem constituit à purgatorio, & loco damnatorum omnino diversam. Distincti hujusce subterranei carceris à loco damnatorum nullum vestigium adest in scripturis, nec mentio ulla apud Patres occurrit, sed Scholastici à 12. seculo nulla prævia revelatione ducti, illum confingere, ut locum infra tellurem designarent illi præparatum, qui solam damni poenam sustinere debeant. Novitas ipsa suspectam hæc opinionem facit. Argumenta suppetunt, quæ meo iudicio etiam falsam constituent ostendunt. Sat esset ad id probandum unum Florentinum Concilium, ad quod Auditor noster provocavit: nam loco ab ipso laudato Concilii Patres definiere, *cum peccato mortali, aut cum solo originali decedentes, mox in Infernum descendere, dispari tamen pena puniendos.* Hic vero Inferni vocabulum, damnatorum, qui sub potestate demonis sunt, locum indicat. Ubi ergo est ex Florentinorum Patrum sententia limbus puerorum? Rursus parvuli sine baptismo decedentes adamitica culpa infecti sunt; ideoque cum Adamo incurrerunt *cum morte capitalitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli*, ut definitum est à Concilio Tridentino *sess. 5. de peccato originali.* Hac de causa ecclesia in collatione baptismi exorcismos adhibere solet, ut hujusmodi cæceronia declaret parvulos eripi per Baptismum à potestate demonum, & ad Christum transferri, ut ajebat Augustinus *lib. 3. operis imperfecti* contra Julianum: ubi ita concludit *cap. 20. Si non eruitur parvulus (per baptismum) de potestate tenebrarum, & illic remanet, quid miraris in igne eterno cum diabolo futurum?* Et *lib. 1. de pecc. merit. & remis. cap. 34.* fingens parvulum à se baptizari, inquit *Quid in parvulo agi exorcismos meus, si in familia diaboli non tenetur?* In eadem fuere sententia plures Summi Pontifices, scilicet S. Coelestinus in *epist. ad Epiricos Galie cap. 12.* Zosimus *epist. 157.* apud S. Augustinum, & S. Gregorius Magnus *lib. 26. Moralium cap. 20.*, ac Patres Concilii Carthaginensis anno 418. celebrati, qui parvulos nondum baptizatos *participes fore diaboli* definiunt; & Concilium denique 15. Episcoporum in Sardiniam à Trasamundo Rege Vandalorum Ariano relegatorum, qui rogati à Petro Diacono, nonnullisque Monachis Romæ commorantibus, ut brevem veluti fidei professionem adversus errores illius temporis ad eos mitterent, in lib. inscripto de *Incar-nati. & gratia, de peccato originali cap. 27.* hæc scripserunt: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in utero matrum, sive cum de matribus nati sine sacramento sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc seculo traxerunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos, quia, etsi propria actionis peccatum nullum habuerant, originali tamen peccati damnationem carnali conceptione, & natalitate traxerunt.* Habes ergo explicatam per ecclesiæ definitionem doctrinam, quæ tradit

parvulos non baptizatos sub demonis potestate esse, ac iamdiu in demonis familia manere, quoad usque per baptismum ex ipsius imperio eripiantur. At qui sub demonis potestate sunt constituti, atque ad ipsius familiam pertinent, in carcere, cui demon præsit, manere debent, ut consideranti patet. Et cum aliunde Patrum, quos antea citavimus, auctoritates adsint, quæ perspicue docent parvulos istos in loco suppliciorum, æternorum cruciatuum, tormentorum gehennæ, & ignis æterni futuros esse, manifestum est, de medio tollendum esse limbum puerorum. Patribus, quos citavimus, addimus S. Prosperum carmine de Ingratis, S. Avitum Viennensem in Gallia Episcopum, qui in *car. ad Fuscina Sororem, gehennæ* destinatum ait parvulum per baptismum non regeneratum; S. Prudentium Episcopum Tricassium, qui ejusdem gehennæ meminit, S. Isidorum *lib. 2. dissert. Spirit. num. 26.* qui hos in æterno igne futuros asserit, S. Gregorium Magnum, qui *lib. 9. Moralium cap. 12. ad tormenta* perverto scribit; & S. Anselmum, qui *lib. de Concept. Virg. & peccato originali cap. 22. in Inferno* futuros parvulos non baptizatos asserit. Quæ quidem sententia satis perspicue ostendunt, ante 12. seculum non solum incognitum, sed universim quoque improbatum fuisse hunc puerorum limbum. Dicit vero Ferrarius, solam poenam damni hujusmodi parvulis deberi, ideoque locum is designandum fore, in quo hæc tantum poenam luant. At Norisius, & omnes fere Augustiniani Theologi, Florentius Corius, & Pontius à Franciscanis, Doctissimus Petavius ex Jesuitis, ac alii bene multi illustres Theologi, tum ex supra adductis Patrum sententiis, tum etiam ex eo, quod in Scriptura homines peccato originali infecti *vasa ire, & vindictæ* nominantur; & quod in extremo Judicii die ad sinistram Judicis futuri sint, ideoque mittendi in ignem æternum, argumentati sunt hujusmodi parvulos poenam quoque sensu subituro esse. Sed hæc missa controversia, de qua alibi forsan disserterem, ad præsens quod adinet, certum, exploratumque videtur, hos parvulos, qui sub potestate sub demonis, ac de ipsius familia, in illa futuros esse Inferni regione, qui Rector tenebrarum præest; ubi, sicut per varietate peccatorum disparis improbi homines sustinent poenas, ita parvuli poenas luunt peccato originali debitas, quæcumque hæc future sint.

IX. Ad purgatorium quod adinet, orthodoxa fides docet, animas sine originali, & mortali peccato decedentes in futura vita purgatorio igne tandiu esse, quoad usque à peccatorum reliquiis expurgate fuerint, ac perfecte satisfecerint. Sed nunc purgatorii locus sit ab Inferno omnino separatus, nihil dæcernit. Patres vero ignem purgatorium ab igne Inferni neutiquam distinguunt, ac Theologi Patrum auctoritate ducti, generationem asserunt, eodem igne, quo cruciantur damnati, electos purgari. Ex quo appareat non adeo diversum esse locum, ut asserere visus est Lucius. At de iis satis.

X. Nunc de igne Inferni paucis disserendum est. Etsi nullum ecclesiæ decretum adest, quod definitivum vocat, de vero ac reali Inferni igne; tamen universæ ecclesiæ consensus satis superque ostendit, sit cuique tenendum. Hinc ab omnibus Theologis statim reijcta, & exposita fuit Ambrosii Catharini sententia, qui ignis vocabulum allegorice intellexit, ac designari ea voce voluit in Scriptura summam aliquam poenam, aut cruciatum omnes à reprobis perferendos. Quam quidem sententiam alii hæreticam, alii hæresim proximam, universim autem saltem erroneam, ac admodum temerariam appellant. Ex Heterodoxis, qui Infernum ignem tropice explicandum esse censuerunt, primo loco recensetur Origenes, qui teste S. Hieronymo in *epist. ad Avitum*, in sola conscientia peccatorum Infernum supplicia posuit. Non defuere tamen, qui Originem ab hujusmodi errore vindicare conati sint, præsertim S. Pamphilus Martyr in apologia pro eodem scripta, in qua loca nonnulla ex Origine deprompta asserit, quæ indicare videntur externam quoque intolerabilem damnatorum poenam. Sed quidquid sit de Origene, illud pro comperto est, sequiore ævo, plures Origenis discipulos

ansam artipuisse ex iis, quæ ille in *Periarchon* scripserat; promovendi sententiam de igne metaphoricæ. Hanc eandem sententiam docuit deinde Calvinus, ac postea Calvini discipuli Theodorus Beza, Lambertus Danaus, Junius, Eilenus, & Reinoldus. At nemo confidentius hæc sententiam proposuit, quam nuperus Theologus Bero-linensis, quem laudat, ac sequitur Franciscus Roches Pastor Genevensis *epist. 37.* Is enim postquam asseruit, verum, ac proprie dictum non esse ignem in Sac. literis ad puniendos impios denuntiatum, subjicit, *jam diu contentiæ homines, aut Theologos, Scriptura verbo de hoc igne prolata in sensu metaphoricæ accipiendæ esse, adeo ut ignis ille forme extinctus fuerit.* Sed quis hæretici hominis impudentiam non videat? Ignis semper meminit Scriptura, ut omnes fatentur. Ignem hunc materialem esse non solum Christiani omnes, sed etiam Judæi, & Mahometani docuerunt semper, & docent; qui vero metaphoricæ hunc interpretari voluerunt, statim ac singularem hæc explicaverunt opinionem, fuere ab universo Ecclesiæ cœtu reprehensi, atque damnati; constat id ex Origenianis antiquis ecclesiæ seculis hæc ob causam unigenis improbatum: constat ex Calvino, ejusque Discipulis, quos vel ipsi Novatores hæc ob rem friserunt, & confutarunt. Constat denique ex censuris Ambrosii Catharini opinionis à Theologis adjectis. Qui omnia argumentorum genera ad rem hæc pertinentia videre cupiat, legat *lib. 2. Vincentii Patuzzi de futuro imperium statu, qui cap. 13. Patrum auctoritates, quæ contra apponi solent, erudite exponit, ac sequentibus capitibus omnia Adversariorum sophismata luculenter dissolvit, & explicat.*

XI. Hic tamen neutiquam prætermittenda duximus argumenta ab humana ratione petita, quæ ab Adversariis opponuntur, cum aptissimis, quas Patuzzi asserit, responsionibus. Ad quatuor itaque capita hæc revocantur. Primo, inquit, explicari non potest cujus nature sit ignis ille, qui damnatos torquere asseritur, aut in qua materia subsistat. Secundo, quo pacto corporeus ignis in animas agat, ac substantias immateriales. Tertio, si in corpora operatur, eaque comburit, cur ipsa non dissolvat, ac consumat. Quarto demum, quomodo non omnes reprobos æqualiter cruciet, cum æqualiter omnes afficiat, ac naturaliter operetur. Hæc illi quidem ingenti verborum strepitu opponunt, ac exag-gerant. Sed pessimæ causæ argumentum est decertare armis ab imbecilli ratione humana depromptis adversus dogmata, quæ solidissimis sacrarum literarum divinæque traditionis fundamentis nituntur. Quid enim? Tametsi explicare minime possem peculiarem illius ignis naturam, aut actionem in immateriales substantias, aut alias difficultates solvere, quæ ex eodem sobolescent, numquid idcirco negandum foret hujusmodi ignis nulla divinæ auctoritatis clare, distincteque loquentis habitatio? aut ad tropos, & figuras confugiendum, cum literalis sensus lucidissime se prodit, nec citra summam violentiam ad metaphoricum detorqueri valet? Si ita res est, nulla jam erit ex catholicæ fidei veritatibus, quæ pari jure negari non possit, aut ad figuratum sensum referri. Nulla siquidem est, quæ difficultatibus plurimis, iisque non raro gravissimis non absolvatur. Quæ tamen à me dicta esse nemo putet, ac si nullus ad propositas difficultates solvendas mihi pateret aditus, cum eadem prorsus sint, quas tum Sancti Patres, tum Theologi, & Scripturarum interpretes sibi pluries objecerunt, ac diluerunt. Ex quibus hic aliqua cursim delibo.

1. Ad illud itaque, quod primo loco obiectum est, dico, gehennalem ignem ejusdem esse nature cum nostro vulgari, solumque quibusdam proprietatibus, aut qualitatibus differre: nimirum, ut ex sacris literis, & ecclesiæ Patribus liquido constat, quod non indiget fomentis, ut conservetur, quod inextinguibilis sit, quod non luceat, luce saltem clara, & perspicua, quod non corpora tantum, sed spiritus etiam corporis expertes affligat, quæ omnia diversitatem natura non arguunt, nec exigunt. Quod si de ejusdem materia scisciteris, respondeo eam certo definiti hæc quæquam posse: neque tamen exinde quidpiam contra ævo, plures Origenis discipulos

let, cum Deus ex quacumque, quæ sibi magis placuerit, materia fornacem illa accendere potuerit, atque accensam perpetuo conservare. Quidam tamen non improbabilius censent, materiam illius ignis saltem præcipuam esse sulphuream: idque colligunt ex nonnullis Apocalypseo locis. Nam *cap. 4. legitur: vidi missum hi duo viri in stagnum ignis ardentis sulphure. Et cap. 20. Diabolus, qui reducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris: & rursus cap. 21. de impiis omnibus dicitur: pars illorum erit in stagno ardenti ignis & sulphure.* In iis quippe locis de futura vite supplicia sermone fieri certum est. Cum igitur disserte asseratur ignem illum ardere sulphure, jure colligi posse videtur, materiam ejusdem, saltem præcipuam esse sulphuream. Sed de hoc satis non enim tanti est hæc obiectio, ut fusiores responsonem mereatur.

2. Ad illud quoque, quod secundo loco obiectum est, haud difficile est respondere. Paucis rem totam dirimi posse mihi videtur, si disceamus, gehennæ ignem torquere spiritus modo quodam, inenarrabili, ut inquit Lactantius, sed plane haud absimili modo, quo vulgaris ignis agit in animam spirituales, dum corpori conjuncta est. Scimus enim certissime, immaterialem animam uniri corpori, vitam ipsi communicare, supplicia corpori inflicta affici &c. licet modum, quo hæc contingant, plane ignoremus. Igitur modus etiam, quo animæ à corpore sejunctæ, vel spiritus incorporæ igne inferni corpore afficiantur, poterit esse ineffabilis, ac nobis impervius, quin tamen illum merito inficari possimus. Hinc Joannes Clericus sub nomine Petri Alerini, licet de veritate ignis materialis dubitanter loquatur; fateatur tamen hocine argumento neminem ad illum abnuendum induci debere, eodem ductus exemplo animæ nostræ in hoc corpore existentis. Sic enim scribit in notis ad *cap. 5. l. 3. Petavii de Angelis: Non negaverim, ignem fore corporeum, eo quod spiritus illo sint torquendi. Hoc enim intellectu difficultus non est, quamvis aliter sentiat Petavius, quam intelligere, qui motus corporis nostri mentem nostram incorpoream, qualis vulgo statuitur, afficiant. Scio dicturum qui hæc legerit, mentem esse cum corpore in una persona conjunctam, ideoque corporis motibus non cessario percelli. De re ipsa hic philosophari nolo; sed quemadmodum mentes immateriales Deus ita cum corporibus conjunctis, ut motibus eorum afficerentur, sic in loco parvulorum, novis legibus naturis verum impositis, efficere potest, ut spiritus igne conspicuo urantur.* Hoc animæ nostræ exemplum late etiam prosequitur inter alios Auctor Reflexionum in *hist. Judæor. tom. 3. pag. 326.*

Sed neque Sanctus ipse Augustinus illud prætermisit in *lib. 21. de civit. Dei cap. 10.* ubi questionem hæc proponit, inquit: *Hic occurrit querere, si non erit ignis incorporalis, sicut est animi dolor, sed corporalis tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari, quomodo in eo erit etiam pena spirituum malignorum? Idem quippe ignis erit, supplicio scilicet hominum attribuitur, & demonum, dicente Christo: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Et in medium prolata sententia tum eorum, qui demonibus aerea quædam corpora tribuebant, tum aliorum, qui eos omnis materie expertes faciebant, subdit juxta horum decretum: *non est de hac re laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum: Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pena corporalis ignis affigi; si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei; & tunc poterunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubilibus alligari? Ceterum modi plurimi à Theologis nostratibus assignari solent ad explicandum actionem ignis corporei in substantias spirituales, qui legi possunt apud Petavium *lib. 3. de Angel. Suarezium item de Angel. Scotum, & Estium in 4. sent. dist. 50. & alios; neque enim necessarium judico huc eos derivare.**

3. Argumentum tertio loco positum accuratissime expendit idem S. Augustinus disputans adversus Gentiles, qui illud in primis opponebant, in eoque refellendo magnam partem insumpsit *lib. 21. de civitate Dei.* Quæ

Quæ fuscis dissest ille, in brevem summam redacta hæc sunt. *cap. 2.* ostendit, *Corpora in ustione ignis esse passiva perpetua*, idque declarat exemplo aliquorum animalium, quæ in mediis ignibus vivere perhibentur. Hinc *cap. 3.* probat "consequens non esse, ut corpus domum loarem necessario sequatur carnis interitus. Id quidem verum est, docet, de corpore in hoc corruptibili statu positum; quoniam sic est anima connexa huic corpori, ut uterque doloribus cedat, atque discedat; quoniam & ipsa compago membrorum, atque vitalium sic infirmitas est, ut eam vim, quæ magnum, vel summum dolorem facit, non valeat sustinere. Tunc autem tali corpori anima, & eo connectitur modo, ut illud vinculum, sicut nulla temporis longitudine solvitur, ita nullo dolore rumpatur. Proinde etiam caro nunc nulla est, quæ sensum doloris perpetui possit, mortemque non possit, erit tamen tunc talis caro, qualis nunc non est; sicut talis erit tunc & mors, qualis nunc non est." Tum *cap. 4.* id pluribus exemplis naturalibus confirmat. Et *cap. 5.* docet, quod tametsi modum ignoremus, quo ignis corpora sine eorum consumptione comburat, non ideo hoc in dubium vocandum esse, quandoquidem multa sunt in rebus naturalibus certissima, de quibus tamen reddi ratio nulla potest, sive rationem & modum ignoramus unde consistere valeant, quorum nonnulla profert. Et soluta *cap. 6.* quadam objectioni, quam inde gentiles conficere poterant, *cap. 7.* & *8.* concludit omnipotentiam Dei, "qui fecit mundum in celo, in terra, in aere, in aquis innumerabilibus miraculis plenum, cum sit omnibus, quibus plenus est, quod dubio majus, & excellentius etiam ipse mundus miraculum, posse facere ut & resurgant corpora mortuorum; & igne æterni crucientur corpora damnatorum." Hæc Augustinus.

Mihi vero rem hanc consideranti difficultatis propositæ solutionem facillime explicari, ac pene oculis subijci videtur, si id ponamus, in quo jam Philosophi omnes, aut ferme omnes consentiunt, calorem scilicet, aut ardorem vehementem, concitatoque partium corporis motu constare, vel produci, ipsumque ignem corpora calefacere, ac comburere, cum in eâ imprimi hujusmodi motum vehementem, & concitatum (vibrationis, aut vertiginis, vel expansionis sit, parum curo.) Quod igitur pleraque corpora ita agitata tandem consumantur, id cause habet, quod ex eo motu vehementi separantur invicem, ac diffidentur exigue primum, aliæque deinde insolutæ partes, quæ corpora ipsa componunt. Quare si nullas partes dissolvit, aut corpore separari contigerit, calidum illum, ignitumve inter flammam consistet citra ullam interitum, aut consumptionem; quemadmodum etiam naturaliter hoc accidere in quibusdam corporibus experientiaprehendimus. Manifestum est enim, *v. gr.* in ardenti fornace vexatum, liquidumque insigniter calescere, quin tamen assumatur, aut quidpiam primævi ponderis amittat; quia videlicet per agitationem, & motum nihil à tota mole subijungitur, at evaporatur. Quod ergo naturaliter contingit in auro, intelligi potest ac debet divina virtute futurum in humanis corporibus, ut nova nimirum in ipsis lege constituta, tartarei ignis actione vehementissime concutiantur, & agitentur fibræ eorum, ac partes, quin tamen separantur, aut ipsarum textura dissolvatur. Id evidentius apparet in systemate causarum occasionalium, quod multis philosophis plurimum aridet; juxta quod rem ita declarat quidam ex Anglia scriptor agens de pari argumento, seu de corporibus per miraculum in igne sine læsione persistentibus: "Ex hujus legis (secundum nomen ab ipso posita circa motum) suspensione corpus humanum, rubus, vel aliquid quodvis inflammabile corpus, etiamsi ardentissimo igne undique cingantur, poterunt tamen non comburi, aut in cineres reduci; aut in forte flamma, uti rubus, capiunt, coarctatis in verticem flammis, poterunt non consumi. Ignis enim particule non comburantur in innata ulla virtute, aut insito impetu, ut supra vidimus; sed quia supremus motus Auditor voluit, ut ex occasione hujus impetus ipse dissolvatur, seu comburatur projecta in ignem corpora, velle quoque poterit, ut eadem non dissol-

vantur, etiamsi rapidissimis ignearum scintillarum cohortibus vorticoso impetu irruentibus impetantur." Ac subinde ostendit etiam quomodo per divinam voluntatem in æternum aliquis vivere valeat, inquit: "possunt nemini omnes corporis partes in eodem situ semper retineri; possunt quoque omnes elementares particule à dissolutione cohiberi. Sanguis & alii humores etiamsi perenni, & intestino motu intra se agitentur, impediri possunt, quominus vapore, seu quominus principia ipsorum diffingantur, aut eorumdem abradantur anguli, quominus eadem particule per habitum corporis non exhalent, & reparatione non egeant." Brevi, tota quanta nunc est corporis materia cum eadem figura, situ, numero, fabrica, & usu partium in statu, in quo nunc est, in perpetuum conservari potest, ac proinde corporis vita in æternum perdurare poterit."

Ad postremum tandem argumentum ita respondet S. Gregorius Magnus; "Sicut in hoc mundo sub uno sole multi consistunt, nec tamen ejusdem solis ardorem æqualiter sentiunt; quia alius plus æstuat, alius minus; ita in uno igne non unus est modus incendi; quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut & ignem non dissimile habeant, & tamen eodem ignis dissimiliter exurat." Verum hæc responsio morale potius sive meritariam, quam physicam causam declarat, cur non una eademque vi, & impressione damnatos omnes Inferni ignis excruciet. Quare aptius, ut mihi videtur, dicendum, ignem illum corporeum, aut juxta plures causas esse mere occasionelem, aut juxta alios instrumentarium divinæ justitiæ vindictæ, ac tamquam Dei instrumentum vim & actionem suam in damnatos imprimere; atque adeo à causa Principe assumi posse ad majus, locum tormentum inferendum. Denique enim, qui demeritorum iniquitatem perfecte cognoscit, ita ignem illum movere, & applicat, ut acris in alios, in alios autem mitius operetur. Quod nemini mirum videri debet, cum & inter nos conspicua sit hujusmodi diversæ actionis experientia. Videmus enim à voluntate unum, idemque instrumentum adhibentis sæpe pendere, quod majorem, minoremve idem imprimat, aut percussorem. De poenarum æternitate etiam alio articulo.

XII. Cum in Scripturis celebris sit sententia de inferorum portis, paucis hic explicamus, quid nomine portæ Inferum veniat. Rex Ezechias in suo cantico depingens statum, quo reductus esset in angustia morbus, ita rem totam explicat: *Ego dixi in dimidio diei meorum; vadam ad portas inferi.* Jesus Christus Matth. 16. 18. Ecclesiæ suæ spondet: *Portæ inferi non prevalebunt adversus eam.* Quæ phrasi idem facile inducitur, ac in Psalm. 9. 15. *Illud: Qui exaltat me de portis mortis;* & Psalm. 106. 18. *Appropinquaverunt usque ad portas mortis;* & Sap. 16. 13. *Deducti ad portas mortis.* Mortem, sepulcrum, Infernos exhibebant Hebræi ceu regionem, quo ex universo orbe homines novam vitam acturi, confluerent. Depromissum alibi ideam, quæ illi tenebantur de sede veterum Gigantum, qui Reipublice speciem quamdam sub terram componebant. Pars recurrit phrasæ apud Paganos, è paribus forte opinionibus accepta. Achilles apud Homerum Iliad. 11. 9. profertur otio habere se tamquam portas mortis illum, qui ore aliud, aliud corde præfert.

Instruit Infernus juxta Mahometanos septem portis, singulis vero illis suum est peculiare supplicium. Prior aditus ille est, ubi Musulmani rei commissi criminis poenas dabunt; secundus Christianis torquendis destinatur; tertius Judæis; quartus Sabis; quintus Magis, vel Guebris cultoribus ignis; sextus paganus & idololatriæ; septimus, ubi profundissimus & abyssus, locus est hypocritarum, exteriorum tantum personam Religionis simulantium. Alii nomine septemillarum portarum designata credunt septem peccata capitalia, alii septem potissima membra hominis, quæ sunt ad peccatum instrumenta.

Habes itaque juxta superiore expositionem, idem esse portas inferi adversus aliquem prævalere non posse, ac interitum, destructionem, & mortem obnoxium illum non esse, cum allegoria ista nomine portæ mortis, & inferi veluti ingressum designari videatur animæ in locum mor-

tuorum, ac ejusdem ex hac vita transitum. Ex quo intelliges, quam apte Christus eadem ussus sit allegoria in citato Matthæi capite, ut inueneret ecclesiam suam supra Petrum fundatam perpetuam, ac indefectibilem esse. Hac autem allegoria Patres per inferi portas errores, hæreses, & hæresiarchas intelligere, per quos spiritus nequitia ecclesiam Christi dilacerare, atque destrueret conatur. Hinc S. Epiphanius in Ancor. num. 9. *Portæ inferi*, inquit, *sunt hæreses, & hæresiarchæ;* & in epistola encyclica octava generalis Synodi post relata verba *Portæ inferi non prevalebunt*, hæc habetur: "Multoties alias inferi portas aperias contra ecclesiam, & devorare eam tentantes nobstruxit, contrivit, atque destruxit, hæreticas videlicet opinionibus, & iniqua conamina, quæ in præteritis generationibus per sua tempora sunt exerta, sed nihilominus & instantibus temporibus Inferno proprium os aperiente, & dilatante protector factus est Christus, &c."

In hoc articulo Rom. Theologus §. 6. hæc habet: "Venio nunc ad quatuor illa inferorum loca expendenda, quæ Lucius noster num. 1. designat. . . At hæc distinctio locorum, non adeo facile admittenda videtur. . . Quamobrem non eam confidenter exponenda videtur, ac lectoribus proponenda distinctio illa de quatuor inferorum partibus, quæ Lucius noster ex Audore theatri vite hæmæ descripsit, & inculcavit." Sed distinctionem illam quatuor inferorum partium descripsi ego, & inculcavi confusus oraculis Clement. VIII. & Bened. XIV. Qui in constitut. de doctrina christiana populis tradenda, incip. Et si minime §. 17. expresse habet: "Clementis Pape VIII. aliorumque prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hortamur in Domino, & enixe commendamus, in doctrina christiana tradenda adhiberi libellum de Clementis ejusdem mandato à Cardinali Bellarmino conscriptum, mox in deputata congregatione diligenter examinatum, & approbatum, ac denique ab eodem Clemente in lucem eo saluberrimo consilio idè jussum, ut unus idemque modus in docendo & discendo christianam doctrinam ab omnibus teneretur." Et in hoc libello, qui titulum præsefert: *Doctrina christiana composta per ordinem de N. S. Papa Clemente VIII. dal R. P. Roberto Bellarmino della Comp. di Gesù Card. di S. Chiesa*, in declaratione quinti articuli Symb. Apostol. sic præcise traditur: "Ma in questo profondo della terra vi sono quattro come grandissime caverne; una per i dannati, che è la più profonda di tutte; così conviene, che vi superbi demonj, è gli huomini loro seguaci siano nel più basso luogo, è più lontano dal paradiso che si possa trovare. Nella seconda caverna, la quale è alquanto più alta, vi stanno quelle anime, che patiscono le pene del purgatorio; nella terza, che è ancora più alta, vi sono le anime di que' fanciulli, che sono morti senza battesimo, le quali non patiscono tormenti di fuoco, ma solo la privazione perpetua dell'eterna felicità. Nella quarta, che è la più alta di tutte, stavano le anime de' Patriarchi, Profeti, ed altri Santi, che erano morti prima della venuta di Cristo." Unde videtur, quod Theologus noster sicut sæpe censuræ voluit supra in verb. Capellanus in com. num. 19. Declarationem Sacræ Congregationis Concilii, ita hic etiam (ut critica oratio cresceret) voluerit ipsi subjicere adhuc ipsas pontificias sanctiones. Et ecce plusquam Salomon hic; *Matth. 12. 42.* Vide etiam ad rem S. Bonaventuræ à me allatum sub verb. Peccatum num. 80. & S. Thomam adductum in egregio Bullario præclarissimi Ordinis Prædicatorum, tom. 2. p. 109. in const. 3. *Clement. V. incip. Benedictus Deus*; sub num. 15. ubi sic expresse habetur: *Quadruplex autem est infernus, ut docet S. Thomas in 3. distinct. 22. quest. 2. art. 1.* "Damnatorum scilicet, purgatorum, limbus videlicet purorum purgandorum, seu purgatorium, & Sanctorum Patrum, limbus nempe Sanctorum, qui accesserunt ante Christi adventum. In primo sunt inferni, scilicet tenebræ gratiæ, tenebræ gloriæ, & poenæ sensus. In secundo sola duo prima. In tertio tantum secundum & tertium. In quarto erat solummodo secundum." Hinc colligitur ex S. Thoma quis ille sit In-

fernus, in quem, ut loquitur diploma, *illorum anima mittuntur, qui in peccato mortali, vel cum solo originali decedunt, poenæ tamen disparibus puniuntur.* Illi siquidem, qui in sola culpa originis sunt, poenam damni dumtaxat luunt; alii vero actuali peccato letali coinquinati, poenas non solum damni, sed etiam sensus persolvunt. †

INFIRMITAS, INFIRMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Quomodo infirmitas, & quorum judicio excuset ab auditione sacri, ad num. 3.
- 4 Et à recitatione Horarum Canonicarum, ad n. 18.
- 19 Quæ sint observanda circa Viaticum infirmorum, ad num. 29.
- 30 Infirmi ac præsertim fratres Minores, an teneantur ad jejunium, ad num. 32.
- 33 Episcopi, Parochi, & Canonici infirmi an & quando dispensentur à residentiali, vel distributionibus lucentur, ad num. 35.
- 36 An peccet infirmus remedia sibi procurans, ac à medicis oblata respiciens, etiamsi mortis periculo laboret.
- 37 Subnectuntur additiones ex aliena manu, ad num. 43.

INFIRMITAS, quæ impedit egredi domo ad negotia magis momenti, excusat ab obligatione audiendi missam; communis cum Suarez, Castropalao, Sanchez, Dicastillo, Gobat, & La Croix lib. 3. part. 1. n. 678. Immo Sanchez, Dicastillo, Gobat cum La Croix loc. cit. n. 678. dicunt, quod quamvis infirmitas non impediat exire ad aliqua negotia, ad quæ infirmus valde afficitur, adhuc excusat ab auditione missæ, si aliis ad id periculum subeundi gravis incommodi. Non enim tenetur infirmus statim adire missam, si hanc audiens cum repugnantia naturæ alterari possit, & pati grave incommodum. An autem in hoc, vel illo casu valetudinis censeatur incommodum sufficienter grave ad excusandum ab auditione sacri, stari potest judicio medici, vel parochi, vel etiam proprio; si infirmus ipse sit ita prudens, ut possit per se ferre judicium; Sanchez, Dicastillo, Bonac, Gobat cum La Croix loc. cit. num. 679. & alii passim.

Infirmitas gravis, ob quam infirmus nequit recitare divinum officium sine læsione suæ valetudinis, vel sine incommodo gravi, vel incremento morbi, excusat à recitatione totali; communis arg. c. Cler. 2. dist. 91. Non excusat tamen infirmitas levis, ut parvus dolor capitis, stomachi, vel pectoris, & interdum etiam levis febris tertiana, aut quartana, cum talis dolor, aut febris non soleat tota die vehementer affligere, ita ut non vacet tempus ad divinum officium recitandum, Navarr. tom. 4. de orat. cap. 11. num. 7. & in manuali cap. 25. n. 100. Sotus lib. 10. de justitia quest. 5. art. 3. Layman lib. 4. tract. 1. cap. 6. Donatus tom. 4. præc. rerum regul. §. 51. num. 1. Tabiena, Armilla, & omnes Summistæ in verb. Horæ Canonice, Busemb. Filiuc. & alii citati à Bonacina de horis disp. 1. quest. 6. part. 1. Infirmitas impediens infirmum ad recitandum, v. gr. solum matutinum, non excusat ipsum à recitatione aliarum horarum, quas recitare potest sine læsione suæ valetudinis; est jam communis propter sequentem propositionem 54. in ordine inter merito damnatas ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. ibi: *Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

In dubio infirmitas sit gravis, aut levis, & an infirmus, seu convalescens possit sine gravi documento recitare totum officium, aut partem, standum est judicio medici, vel superioris, aut in horum defectu alterius viri prudentis; Sylvester, Sotus, Sanchez, Donatus loc. cit. num. 2. alique cum Pellix. tom. 1. tr. 5. cap. 8. num. 115. La Croix cap. 4. num. 1225. qui insuper cum Gobat addit, posse infirmum stare etiam judicio proprio, si sit ita prudens, ut per se possit de talibus ferre judicium. Si autem nec supradicti, nec in-